



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Elementa Doctrinae De Circvlis Coelestibvs, Et Primo
Motv**

Peucer, Kaspar

Vitebergae, 1576

VD16 P 1990

Quintum discrimen.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56559)

Signa enim signorumq; partes, quæ hemicyclium signiferi descendens constituunt, in obliqua sphaera exortu rectiore, ascensiones eorundem in recta sphaera vincunt, & eo quidem plus, quo puncto æquinoctij autumnalis sunt propiores. Contra, quæ ascendens tenent hemicyclium signiferi, obliquiore emersu iisdem in recta sphaera longe cedunt.

Quartum discrimen.

In sphaera recta, signa vel arcus oppositi habent æquales ascensiones, atq; adeo eadem est signi descensio, quæ ascensio. In obliqua non idem contingit, sed ascensio signi alicuius est oppositi signi descensio. Hinc fit, ut quæ recte oriuntur, oblique occidant, & econverso.

Quintum discrimen.

Duorum tamen oppositorum arcuum quorumlibet ascensiones obliquæ iunctæ, rectis eorundem ascensionibus iunctis, iidem adæquantur. Cum enim oppositi arcus æqualiter absint ab æquatore, necesse est, ut quanto alter obliquius ad Horizontem inflectitur & applicatur, tanto alter inclinetur rectius, quod æquator angulum, quem cum Horizonte in quouis sphaerae situ complectitur, nunquam mutat. Hinc duo sequuntur πορίσματα.

○ 5 Primum

Primum.

Ascensio obliqua alicuius arcus addita descensioni eiusdem, aequatur ei, quod ex ascensu descensuq; eiusdem arcus in sphaera recta prouenit.

Secundum.

Eadem sunt differentiae in oriendo & occidendo, sed rationis diuersae, ita cum illuc addantur, hic minuuntur. Nam & oppositorum arcuum differentiae ascensionales aequales sunt. Sed hoc interest, quod ex parte altera adijciuntur, ex altera auferuntur.

Sextum discrimen.

In sphaera recta, quatuor signa tantum recte oriuntur, quorum duo, oppositis solstitionum partibus utrinq; contigua sunt. In obliqua sex recte ascendunt, quae hemicyclium signiferi descendenti obtinent, sex opposita oblique.

Haec sunt fere, quae in compendio de ortu atq; occasu partium signiferi dici possunt, Reliqua ex ipsis studiosi fontibus hauriant. Sed hic obseruent Regulas haecenus traditas valere vsq; ad situm terre, cui polus zodiaci in quavis diurna reuolutione semel supra verticem consistit, seu mundi polus 66 grad. 30. scrup. fere exeritur. His enim cum quotidie polus zodiaci motu primi caeli semel p[er]